

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 2 (1924)

Artikel: Mag. Joh. de Lichtenberg O.P. († ca. 1313) : doctrina de motivo humanae voluntatis
Autor: Martin, Raymundus M.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762639>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 03.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Mag. Joh. de Lichtenberg O. P.

(† ca. 1313)

Doctrina de motivo humanae voluntatis.

Scriptis

P. Mag. Raymundus M. MARTIN O. P., Lovanii.

Iam non desunt auctores qui, ducentibus clarissimis viris H. S. Denifle O. P., et emin. Dom. Card. Fr. Ehrle S. J., historiae theologiae medii aevi acriter operam navant, magnorumque huius aetatis doctorum sententias eruunt ex ipsis codicibus manuscriptis, undique in variis Europae regionibus impune sparsis. Noverunt auctores illi quot et quantis opibus et adiumentis quisque indigeat ad huiusmodi arduum opus fructuose et praeclare perficiendum. Omnino praerequiruntur quum certa institutio palaeographica, tum notitia regularum quibus methodus historico-critica innititur, tum praesertim scientia philosophiae et theologiae scholasticae. Et quantum ad hoc ultimum attinet, praepremis cum de doctrina S. Thomae vel alicuius doctoris ex eius schola agitur, non sufficit opus quodcumque perlustrare, sed opus est totius systematis thomistici plena atque perfecta intelligentia. ¹

Quae quidem mente recolimus, quum in Ephemeridibus *Zeitschrift für katholische Theologie*, nuper legebamus ea quae cl. A. Landgraf protulit de doctrina Mag. Johannis de Lichtenberg circa motiva humanae voluntatis. ² Liceat nobis ea quae in praefata dissertatione ex codice manuscripto Vaticano lat. 859 non recte transscripta sunt,

¹ Cfr. H. S. Denifle O. P., Eine Geschichte der deutschen Mystik, in *Historisch-politische Blätter*, 1875, 684. — Die abendländischen Schriftausleger bis Luther, p. XI–XIII. Card. Fr. Ehrle S. J., Das Studium der Handschriften der mittelalterlichen Scholastik mit besonderer Berücksichtigung der Schule des hl. Bonaventura, in *Zeitschrift für katholische Theologie* VII (1883), p. 1–51.

² Cfr. Dr. A. Landgraf, Joannis Picardi de Lichtenberg O. Praed. und seine Quaestiones disputatae, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, Band XLVI (1922), fasc. 4, pp. 536–537. Monet auctor, p. 510, n. 1, dissertationem suam, cura et studio Emin. Card. Fr. Ehrle, tunc temporis Directoris seminarii historici in Universitate Gregoriana, multum auctam fuisse.

vel adiecta interpretatione indebite illustrata fuerunt, in sequentibus brevi calamo referre atque instaurare.

Agemus ergo primo de littera textus quo continetur Mag. de Lichtenberg doctrina ;

deinde, de eius textus vera interpretatione.

I.

De littera textus quo continetur Mag. de Lichtenberg doctrina.

Contendimus lectionem cl. Landgraf in pluribus ab exemplari defecisse. Quod ut lectori pateat, ex una parte ponimus textum prout legitur in editione Landgraf, ex altera vero parte ipsum eundem textum rescribimus prouti ex phototypia codicis Vaticani lat. 859 elucet. Unum et alterum quae imprudentiae scriptoris attribuenda sunt, emendamus.

A

Editio Landgraf (loc. cit. p. 537).

« Circa tertium considerandum, quod voluntas etiam movetur ab alio, ubi intelligendum est, quod movere *convenit* dupliciter, sicut et dupliciter *convenit* aliquid esse in potentia : Uno modo *convenit* aliquid esse in potentia ad ipsum usum sive ad exercitium actus sicut posito, quod velit videre, adhuc est in potentia ad hoc scilicet, quod hoc album vel nigrum videat ; non quod aliquis possit videre et tamen nil videat, sed quia ex parte subiecti scilicet videntis est ut videat vel non videat, sed ex parte obiecti est, ut visio sit nigri vel albi, sicut et calefactio dicitur actus vel actio calefacientis, sed dicitur calefactio non a calefaciente, sed a calore. Quantum *ergo* ad primum reducitur voluntas in actum eorum, que sunt ad finem,

A'

Cod. Vaticanus, fol. 181^r.

« Circa tertium considerandum quod voluntas etiam movetur ab alio. ¹ Ubi intelligendum est quod movere *contingit* ² dupliciter, sicut et dupliciter *contingit* aliquid esse in potentia. Uno modo *contingit* aliquid esse in potentia ad ipsum usum sive ad exercitium actus. Sicut posito quod velit videre, adhuc est in potentia, ad hoc scilicet quod hoc album vel nigrum ³ videat ; non quod aliquis possit videre et tamen nil videat, sed quia ex parte subiecti, scilicet videntis est ut videat vel non videat. Sed ex parte obiecti est ut visio sit nigri vel albi. Sicut et calefactio dicitur actus vel actio calefacientis, sed dicitur calefactio, non a calefaciente, sed a calore. Quantum *igitur* ⁴ ad primum, reducitur voluntas in actum eorum que sunt

per hoc, quod vult finem, ut dictum est. Sed quia non semper vult actu finem, ideo oportet, quod ipse actus voluntatis reducatur ab aliquo per modum agentis, quod est movere ad exercitium, *sed quia fit in naturalibus, nil potest [gratia] vere movere motu naturali, nisi quod causat naturam. Ideo etiam motum voluntatis primum non potest causare, nisi quod causat voluntatem, hoc autem est Deus . . .* Cum enim voluntas se ipsam non moveat nisi presupposito alio motu, sicut dictum est, iretur in infinitum, nisi ad primum actum ex instinctu alicuius altioris agentis moveretur, sicut concludit philosophus 8 cap. in libro de bona fortuna. Si autem *loquimur* de actu, quantum ad eius determinationem, sic movetur ab obiecto, et quia intellectus presentat hoc obiectum, quia bonum non movet nisi apprehensum, ideo secundum hoc dicitur intellectus movere. Sed quia ad obiectum multa possunt operari directe vel indirecte, ideo ex hac parte a multis dicitur moveri voluntas, scilicet ab angelo, dum sibi suum obiectum proponit in intellectu. Item quilibet creatura, in quantum habet rationem boni intellecti. Item appetitus vel passio vel habitus, quia qualis est unusquisque, talis sibi finis videtur, ut dicitur tertio ethicorum; etiam per hoc voluntas obiective movetur. Item corpus *certe* indi-

ad finem per hoc quod vult finem, ut dictum est; sed quia non semper vult actu finem, ideo oportet quod ipse actus voluntatis reducatur ab aliquo per modum agentis, quod est movere ad exercitium. *Sed*⁵ *quia sic in naturalibus nichil potest grave movere motu naturali nisi quod causat naturam, ideo etiam motum voluntatis primum non potest causare nisi quod causat voluntatem. Hoc autem est Deus.*⁶ Cum enim voluntas se ipsam non moveat nisi presupposito alio motu, sicut dictum est, iretur in infinitum nisi ad primum actum ex instinctu alicuius altioris agentis moveretur, sicut concludit Philosophus, 8 capite in libro de bona fortuna.⁷ Si autem *loquamur*⁸ de actu quantum ad eius determinationem, sic movetur ab obiecto; et quia intellectus presentat hoc obiectum, quia bonum non movet nisi apprehensum, ideo secundum hoc dicitur intellectus movere. Sed quia ad obiectum multa possunt operari directe vel indirecte, ideo ex hac parte a multis dicitur moveri voluntas, scilicet ab angelo, dum sibi suum obiectum proponit in intellectu. Item quilibet creatura, in quantum habet rationem boni intellecti. Item appetitus vel passio vel habitus: quia qualis est unusquisque, talis sibi finis videtur, ut dicitur tertio ethicorum; etiam per hoc voluntas obiective movetur. Item corpus *celestis*⁹ indirecte

recte ex parte appetitus sensitivi imprimi, licet non directe possit imprimere in ipsam voluntatem. Et sic patet ad questionem. »

ex parte appetitus sensitivi imprimi, licet non directe possit imprimere in ipsam voluntatem. Et sic patet ad questionem. »

NOTANDA

1. Inter aliam et aliam lectionem haec est generalis discrepantia : A differt ab A' quoad modum dividendi propositiones et interpunctionem. Modus interpungendi, quem selegimus, partim fundatur in ipso codice manuscripto, partim innititur regulis quibus communiter utuntur auctores. Quae in textu A oportet mutantur et emendentur typis italicis excudi mandavimus.

2. *Contingit* — abbreviatio *ct*, licet quandoque stet pro verbo *convenit*, melius tamen in casu vertitur per verbum *contingit* ; quod ex ea ipsa sententia textus, in qua reperitur, et ex more loquendi scholasticorum certum esse videtur.

3. *hoc album vel nigrum* — in ms : *homo albus vel niger* ; istis quippe verbis respondent contractiones quibus usus est scriptor.

4. *igitur* — abbreviatione adhibita signatur *igitur* non *ergo*.

5. *Sed quia voluntatem* — Locus ille in lectione A omnem intelligentiae vim ac notionem prorsus fugit. Oblitus est Dr. Landgraf regulae illius quam tradit clarissimus suus Praeceptor, Emin. Card. Ehrle : in transcribendo codice antiquo, accuratissima diligentia abstinendum esse ab imprudenti coniectura ; hac enim cum scriba innititur, periculum est ne proferatur *ridiculus mus* ; ex solis regulis palaeographicis decernendum, quid reapse scriptum est.¹ Porro, versio A', uti iacet, in cod. ms. habetur, nisi quod loco *grave* scriptor posuit *gravere*, per imprudentiam ultimae syllabae *ve* contractionis signum imponendo.

¹ Cfr *Emin. Card. Ehrle S. J.*, Nuove Proposte per lo studio dei manoscritti della Scolastica medioevale, in periodico *Gregorianum*, vol. III (1922), p. 209. En clarissimi auctoris verba : « Però qui si deve evitare con speciale cura un difetto, il quale è tipico dei primi tentativi a leggere o copiare un manoscritto antico, cioè di indovinare più tosto la parola abbreviata, che di leggerla, un abuso che espone il copista a sbagli e combinazioni assai ridicoli. Non ve e dubbio che la lettura vien facilitata da un certo dono di combinare ; ma si deve sempre tenere in mente, che non si tratta di trovare ciò che l' autore o il copista nel passo in questione doveva e forse anche voleva scrivere, ma ciò che di fatto ha scritto. Quindi ogni combinazione che si presenta per l' interpretazione d' una abbreviatura, deve subito essere esaminata alla stregua delle regole paleografiche, le quali solo decidono su ciò che di fatto è scritto. »

6. *Hoc autem est Deus* — Post haec verba, cl. Landgraf, punctis utendo, videtur voluisse significare vel lacunam in codice ms reperiri, vel partem textus a se neglectam fuisse. Notet vero lector, in cod. ms. praedicta verba nullo spatio nec ulla parte orationis a sequentibus seiuncta esse.

7. *8 capite in libro de bona fortuna* — Revera autem habetur in capite 2 dicti libri *de bona fortuna*. Quod caput quidem constat capite 14 libri VII (alias VIII) *Ethicae Eudemiae*. Cfr *A. Pelzer*, Les versions latines des ouvrages de morale, conservés sous le nom d'Aristote, in *Revue néo-scholastique de philosophie*, t. XXIII (1921), p. 316-323.

8. *loquamur* — ita quidem in cod. legitur.

9. *celeste* — sic oportet dissolvatur contractio a scriptore adhibita. Nullum signum indicat esse legendum *certe*.

II.

De huius textus vera interpretatione.

Ut vera alicuius textus interpretatio habeatur, saepenumero iuvat primum inquirere an auctor forsan dicta aliorum persecutus sit, vel quid novi et inauditi proferre intenderit.¹ Putavimus, hac in re, ad nos praeceptum illud pertinere.

Age porro, cum Mag. Joh. de Lichtenberg ad scholam pertineat divi Thomae Aquinatis, consentaneum erat eius doctrinam cum scriptis Angelici Doctoris conferre.

Nec spem fefellit opera. Etenim, inspectis illis locis in quibus Thomas Aquinas eisdem in rebus versatur, nullo negotio ostenditur Mag. de Lichtenberg in illo textu nonnisi summam doctrinae *Doctoris communis* exhibuisse. Videat ipse lector :

Joh. de Lichtenberg.

1. Ubi intelligendum est quod movere contingit dupliciter, sicut dupliciter contingit aliquid esse in

S. Thomas Aquinas.

1. I-II q. 9 a. 1: Respondeo dicendum quod in tantum aliquid indiget moveri ab aliquo, inquan-

¹ *Emin. Card. Ehrle*, ibidem p. 214: (per il comprendimento e la penetrazione del contenuto più spedito e facile) « Nello studio stesso si rilevino: a) Le citazioni tanto esplicite che implicite, cioè anche l' uso fatto di altri autori b) in connessione con questo primo punto sono da raccogliere e da indicare con citazioni precise i passi opportuni a mostrarci la scuola o tendenza dottrinale, che l' autore segue, sia con sequela stretta e legata sia con più larga; la sua individualità letteraria: la sua franchezza o moderazione, il suo conservantismo o la sua modernità sana o smoderata. »

potentia. Uno modo contingit aliquid esse in potentia ad ipsum usum sive ad exercitium actus. Sicut posito quod velit videre, adhuc est in potentia, ad hoc scilicet quod hoc album vel nigrum videat; non quod aliquis possit videre et tamen nil videat, sed quia ex parte subiecti, scilicet videntis est ut videat vel non videat. Sed ex parte obiecti est ut visio sit nigri vel albi. Sicut et calefactio dicitur actus vel actio calefacientis, sed dicitur calefactio, non a calefaciente, sed a calore.

2. Quantum igitur ad primum, reducitur voluntas in actum eorum que sunt ad finem per hoc quod vult finem, ut dictum est.

3. Sed quia non semper vult actu finem, ideo oportet quod ipse actus voluntatis reducat ab aliquo per modum agentis, quod est movere ad exercitium.

tum est in potentia ad plura: oportet enim ut id quod est in potentia, reducat in actum per aliquid quod est actu; et hoc est movere. Dupliciter autem aliqua vis animae invenitur esse in potentia ad diversa: uno modo, quantum ad agere et non agere; alio modo quantum ad agere hoc vel illud. Sicut visus quandoque videt actu, et quandoque non videt; et quandoque videt album, et quandoque videt nigrum. Indiget igitur movente quantum ad duo: scilicet quantum ad exercitium vel usum actus; et quantum ad determinationem actus. Quorum primum est ex parte subiecti, quod quandoque invenitur agens quandoque non agens: aliud est ex parte obiecti, secundum quod specificatur actus — *Et infra*: obiectum movet, determinando actum, ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus actio specificatur, sicut calefactio a calore.

2. Ibid. a. 4: Et quidem, sicut dictum est, ipsa movet seipsam, in quantum per hoc quod vult finem, reducitur seipsam ad volendum ea quae sunt ad finem.

3. Ibid. a. 4: Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod inciperet velle sanari, aliquo movente.

Ibid. a. 1: Motio autem ipsius subiecti (= motio quantum ad exercitium actus, paulo supra in art.) est ex agente aliquo.

4. Sed quia sic in naturalibus nichil potest grave movere motu naturali nisi quod causat naturam, ideo etiam motum voluntatis primum non potest causare nisi quod causat voluntatem. Hoc autem est Deus.

5. Cum enim voluntas se ipsam non moveat nisi presupposito alio motu, sicut dictum est, iretur in infinitum nisi ad primum actum ex instinctu alicuius altioris agentis moveretur, sicut concludit Philosophus 8 capite in libro de bona fortuna.

6. Si autem loquamur de actu quantum ad eius determinationem, sic movetur ab obiecto; et quia intellectus presentat hoc obiectum, quia bonum non movet nisi apprehensum, ideo secundum hoc dicitur intellectus movere.

Bonum non movet nisi apprehensum.

7. Sed quia ad obiectum multa possunt operari directe vel indi-

4. Ibid. a. 6: . . . motum naturalem causare non potest nisi quod est aliquo modo causa naturae . . . Sic ergo hominem, voluntatem habentem, contingit moveri ab aliquo qui non est causa eius: sed quod motus voluntarius eius sit ab aliquo principio extrinseco quod non est causa voluntatis, est impossibile.

Voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quam Deus.

5. Ibid. a. 4: Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret, ex aliqua voluntate praesupposita. Hoc autem non est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam capitulo *Ethicae Eudemicae*.

6. Ibid. a. 1: Sed obiectum movet, determinando actum, ad modum principii formalis . . . Primum autem principium formale est ens et verum universale, quod est obiectum intellectus. Et ideo isto modo motionis intellectus movet voluntatem, sicut praesentans ei obiectum suum.

Ibid. a. 2: id quod apprehenditur sub ratione boni et convenientis, movet voluntatem per modum obiecti.

7. III *Contra Gentes*, cap. 88: Non est autem aestimandum, quod

recte, ideo ex hac parte a multis dicitur moveri voluntas, scilicet ab angelo, dum sibi suum obiectum proponit in intellectu.

8. Item quelibet creatura, in quantum habet rationem boni intellecti.

9. Item appetitus vel passio vel habitus : quia qualis est unusquisque, talis sibi finis videtur, ut dicitur tertio ethicorum ; etiam per hoc voluntas obiective movetur.

10. Item corpus celeste indirecte ex parte appetitus sensitivi imprimi, licet non directe possit imprimere in ipsam voluntatem.

animae coelorum, si quae sint, vel quaecumque aliae intellectuales substantiae separatae creatae possint directe voluntatem nobis immittere — *De Ver.* q. 22 a. 9 ad 4 : dicendum quod angeli non imprimunt intellectui quasi interius aliquid in intellectu agentes ; sed solum ex parte obiecti, in quantum aliquid intelligibile proponunt — I-II q. 9 a. 6 ad 2 : dicendum quod intellectus hominis movetur ab angelo ex parte obiecti, quod sibi proponitur virtute angelici luminis ad cognoscendum. Et sic etiam voluntas ab exteriori creatura potest moveri.

8. *De Verit.*, loc. cit. a. 9, in fine corp. — Item I-II loc. ult. cit.

9. I-II q. 9 a. 2 : Philosophus dicit in III *Eth.*, *qualis unusquisque est, talis finis videtur ei*. Manifestum est autem quod secundum passionem appetitus sensitivi, immutatur homo ad aliquam dispositionem. Unde secundum quod homo est in dispositione aliqua, videtur sibi aliquid conveniens Et per hunc modum, ex parte obiecti, appetitus movet voluntatem.

10. I-II q. 9 a. 5 : Sed quia dictum est quod appetitus intellectivus quodammodo movetur ab appetitu sensitivo, indirecte redundant motus coelestium corporum in voluntatem : in quantum scilicet per passiones appetitus sensitivi voluntatem moveri contingit.

Ex quibus omnibus manifestum est, ea quae de motivis humanae voluntatis prius docuerat et evolverat Angelicus Doctor, a mag. Johanne de Lichtenberg ad modum compendii fuisse reducta.

Quid ergo de eius textu vera interpretatione? Numquid aliter ipsum interpretari licet atque illa loca S. Thomae e quibus depromptus fuit? Absit!

Editioni autem textus, a se datae, praenotat Dr. Landgraf: Vix autem licet modernis Thomistis pro doctrina praemotionis physicae ad illum textum appellare.¹

Subiungit autem in fine: Nihilominus iustum est etiam illam quaestionem in doctrina Mag. de Lichtenberg plurimi aestimare.²

Quod ultimum libenter concedimus. Tanti enim facienda est illa rei tractatio, quia ea noverimus auctorem in hac materia, ne latum quidem unguem, a S. Thoma discessisse.

Quantum vero ad primum attinet, scilicet ad sciendum quid conferat praefatus textus ad sententiam quam Thomistae tuentur de physica Dei praemotione, dicendum sane id ipsum conferre, nec plus nec minus, quod ab ipso S. Thoma in citatis locis adducitur. Quod quidem a praeclaris magistris A. Dummermuth et N. del Prado, ut de recentioribus tantum dicamus, non semel explicatum est.³ Ut ergo fas sit Doctori A. Landgraf prudenti aestimatione concludere: *Vix autem licet*, etc. ipsi prius incumbit horum magistrorum commentaria recognoscere, ponderare, confutare.

Si vero Dr. Landgraf in opere Magistri de Lichtenberg alia quaequam et nova invenerit quae doctrinae S. Thomae refragantur, textus, cura intenta, in propria littera referat, sententiam aperte enuntiet, argumenta dilucide proponat, et, altera data opportunitate, cum ipso de doctrina Magistri de Lichtenberg disputare nos nequaquam pigebit.

¹ Cfr. *loc. cit.* p. 536: Es dürften ihn aber die heutigen Thomisten kaum für die praemotio physica in Anspruch nehmen können.

² *Ibid.*, p. 537: Immerhin ist aber auch diese Frage bei ihm aller Beachtung wert.

³ Ait *del Prado*, De Gratia et libero arbitrio, pars secunda (Friburgi Helvetiorum, 1907), p. 124: «D. Thomas, qui I-II q. 9 jacet fundamenta omnium argumentorum, quae ex parte ipsius voluntatis creatae possunt efferri ad ostendendam necessitatem alicuius principii exterioris moventis potentiam liberi arbitrii per modum agentis, sicut alterans movet alteratum, et impellens movet impulsum: in hoc loco satis habet concludere necessitatem ponendi physicam praemotionem saltem in primum motum voluntatis.» Cfr P. A. Dummermuth O. P., S. Thomas et doctrina praemotionis physicae (Parisiis 1886), p. 328-330.